

causæ referunt causam moralem. Non verò hic curamus ma-
 teriam *Circa Quam*, quæ alias etiam objectum seu subjectum oc-
 cupationis vocitari solet, nec materiam *In Qua* seu subjectum In-
 hæfionis, sed unice intendimus Materiam *Ex Qua* s. Principium
 Constitutionis, quæ ab accuratioribus Philosophis, ex *Aristot. l. 5.
 Metaph. c. 2.* ita describitur; *Quod fit id, ex quo fit aliquid cum insit,*
 s. *ἡ ἐξ ἧς γίνεται τὸ ἐκυπάρχον* &c. Requiritur itaque ad Materi-
 am, ut ex ea fiat materiatum, monente *B. Zeifoldo Theor. Princip.
 Disp. 5. §. 18.* particulam *Ex* hic non late accipi, quatenus etiam
 accommodatur *Causa Efficienti*, ut videre in *Aristot. l. VII. Phil.
 Pr. c. 9. t. 30.* sed strictè & propriè, quatenus *Materiae* strictè sic di-
 ctæ genuinum est *κειμήλιον*, ita ut ex ea, quicquid componitur aut
 generatur, constituatur. Verum cum ex *Causa Morali* nulla res
 constituatur, nec ad *Esse* internum rei aliquid conferat, & causæ
 internæ munus obire nequit, in propatulo est, non esse *Causam*
Materialem, at inique ad eandem referri. Aufugit quoque *Mo-
 ralis Causa* ex territorio *Causæ Formalis*, *Forma* enim est Prin-
 cipium per unionem sui cum materia dans rei esse. Quamvis au-
 tem sano sensu dici possit, quod etiam *Causa Efficiens* rei det esse,
 h. e. ex tali potestate faciat tale actum, non autem fit hoc per unio-
 nem sui cum materia, sed per formam, quam in *Subjecto* pro-
 ducit. Quum itaque nec per *Causam moralem* ceu constituti-
 vum, nulla res suum accipiat esse, ultro sequitur, quod de jure ad
Causam formalem referri non possit, dum licet semper materi-
 am respiciat, incapax tamen est, ut cum ea uniri & per talem u-
 nionem aliquid constituere queat. Esse autem *Causam Mora-
 lem Efficientem*, eamque respicere ut species suum Genus, facil-
 limè liquet, eo quod *Efficiens Causa* tanquam de multis diversis
 prædicatur in *Quid*. *Causa* enim *Physica*, *Prima*, *Secunda*, *Uni-
 versalis*, *solitaria*, *socialis*, etiam hocce gaudenti titulo, idemque *Ge-
 nus* agnoscunt. Hinc quoniam *Causæ Efficienti* ipsa *Generis*
Definitio competit, nemo negare ipsum audebit definitum.

§. X.

Conceptum quod attinet differentialem continetur his ver-
 bis in definitione residuis ubi dicitur (1.) quod *causa Moralis*
 non influat in effectum revera ac realiter, quo pacto à *causa phy-
 fica*

B

fica,